

lare — conc.; cum res sub alia ratione sit universalis (essentia *metaphysica*), sub alia autem (modus individualis *existendi*) singularis — nego.

9. Atqui sub eadem ratione res deberet esse universalis et singularis; nam existentia rei singularis identica est cum natura rei singularis; dist.: physice — trans.; metaphysice, subd.: natura infinita, quae est ex se (Deus) — conc.; natura finita — nego.

### Caput II: De Formalismo sive Realismo exaggerato.

*Expositio*: Diversae species Formalismi excogitatae sunt. 1<sup>o</sup> *Plato* propter certitudinem scientiae, constantiam specierum et legum naturae, perfectionem rerum finitam universalialia *per se separate* existere affirmare videtur, praesertim in *Timaeo*, ipsis tribuens vitam, motum, operationem. Ita *Aristoteles* et post ipsum scholastici eius sententiam interpretati sunt. *S. Augustinus* (*Retract.* I, 3.) vero et alii multi eum non nisi ideas divinas tanquam rerum exemplaria statuissent arbitrantur.<sup>1)</sup> Ad *Platonis* sententiam accedit *Avicenna*, philosophus princeps Arabum, intellectum universalem agentem statuens, qui nobis conceptus rerum, rebus autem formas suas tribuat; deinde *Averrhoes* intellectum et agentem et possibilem universalem esse putavit. *Victor Cousin* († 1867) rationem quandam impersonalem, *Ontologistae* et *mystrici* intuitionem divinae essentiae statuebant.

2<sup>o</sup> *Scotus Erigena*<sup>2)</sup> (saec. IX) in schola palatina Parisiensi, sequens *Neo-Platonicos*, formas ipsas rerum etiam materialium ideales et universales esse censuit, ac proinde conceptus omnes formaliter existere; quem secuti sunt *Amalricus de Chartres* et *David de Dinanto* saec. XII, a concilio Lateranensi 1215 reprobati. Similem sententiam, teste *Abaelardo*, *Guilelmus Campellensis* († 1121) tradidit, docens res singulares non nisi accidentaliter differre. Neque multum ab eo differre videtur *Duns Scotus*, „doctor subtilis“, *Franciscanus* († 1308 *Coloniae*), *Maestrius* etc., distinctionem formalem ex natura rei inter realem et rationis statuente; unde putant, naturam, licet realiter sit identificata cum individuo, formaliter tamen ex natura rei distingui ab individuatione.

*Thesis X*: Universalialia neque formaliter in se, neque formaliter in rebus existunt.

#### I. Universalialia non formaliter in se existunt.

*Prob. 1. Ex natura universalis*<sup>3)</sup>: Quidquid existit, est singulare; nam eo ipso, quod existit, distinguitur ab omnibus aliis existentibus, neque potest nisi certo modo existere. Ergo universale, si existeret per se, deberet esse eo ipso singulare et distinctum ab

<sup>1)</sup> *Phaedon*, 49; *Theaetetus*, *Cratylus* etc. *Rolfes* (*Philos. Jhrb.* 1900, p. 221 et 404 sq.) argumentis haud spernendis ostendere conatur, *Platonem* metaphorice seu poetice locutum esse, ideasque suas in Deo, quem ideam boni vocat, collocasse. <sup>2)</sup> Cfr. de *Wulf*, l. c. p. 170 sq. <sup>3)</sup> *Aristot.* *metaph.* I, 9; XIII, 9. Cfr. *S. Thomam* apud *Cosm. Alam.* I, qu. 28, art. 2; opusc. 53, 55, 56 (ed. *Lugd.*)

omnibus aliis. Atqui hoc eius naturae repugnat; est enim unum idemque in pluribus. Ergo universale non potest separate per se existere.

2. *Ex relatione ad individua*: Homo universalis separatus aut esset in *Platone* et ceteris, aut non. Si primum, vel eadem numero natura humana esset in omnibus hominibus, et tunc revera non nisi unus homo esse posset, quod conscientiae repugnat et pantheismum induceret; vel numero eadem natura humana esset divisa in omnibus; sed tunc deberet simul esse una et plures realiter, esse sibi identica et non identica, quod item repugnat. Si autem illa natura humana universalis non esset in singulis hominibus: a) non esset universalis, i. e. unum in pluribus, sed esset iam singularis, individua; b) *Plato* et ceteri non essent revera homines, quod conscientiae repugnat. Ergo non existit humana natura universalis per se, quod de omnibus universalibus dicendum est.

3. *Ex absurdis*: a) Si universalialia per se existerent, deberent non solum substantiae universales, sed etiam accidentia per se existere; nam sunt realitates aliquae, et conceptibus universalibus exprimuntur. Atqui repugnat naturae accidentis, esse per se; e. g. motus universalis, i. e. sine directione, intensitate etc. quid est? Ergo . . .

b) Si universalialia per se existerent, non solum species statuendae essent, sed etiam genera universalialia: rationale — sensitivum — vivens — corpus — substantia — ens deberent existere. Atqui hoc absurdum est; nam tunc unitas nostra realis destrueretur, et esset pantheismus universalis, quia omnia in ratione entis realis identificarentur. Ergo nullum universale formaliter per se existit.

#### II. Universalialia non formaliter in rebus existunt.

*Prob. 1. Ex natura rerum existentium*: Quidquid existit, est singulare et quidem intrinsece; nam eo ipso, quod hoc modo existit, non est aliud; et conscientia nostra testatur, nos intrinsece distinctos esse ab aliis, habere corpus, animam, facultates nobis proprias: actus in anima ipsa immanentes non esse nisi in nobis, nosque debere respondere, si quid peccavimus. Atqui si natura esset formaliter universalis in rebus, eadem in omnibus: a) non posset fieri singularis in individuis: non per se; secus deberet intrinsece in singulis mutari, quod impossibile est, et eo ipso constitueretur iam individua; neque per accidentia (notas individuantes) fieret singularis, quia accidentia non mutant essentiam, sed eam supponunt et ex ea oriuntur; b) tunc revera non existeret, nisi unus homo sub diversis accidentibus, quod absurdum est. Ergo natura non est formaliter universalis in singulis.

2. *Ex natura universalis*: Universale est unum idemque simul in pluribus existens. Atqui si una eademque natura physica simul esset in pluribus multiplicata, aut aliqua realitate differret in singulis, aut non. Si primum, eo ipso esset iam natura singularis, neque posset ut physice eadem in aliis esse et multiplicari, neque praedicari eodem modo; sin alterum, non esset una natura in pluribus multiplicata, sed potius eadem natura multilocata, sicut Christus in omnibus altaribus est sub sacris speciebus, et tunc Petrus posset revera dici Paulus, esse simul hic et Romae, simul iustus et iniustus etc.; nam praedicatio fit de natura, non de accidentibus, et revera non esset, nisi unus idemque homo.

Neque obici potest, res differre accidentibus, notis individuantibus. Nam licet nos nunc accidentaliter alii simus atque in iuventute, *essentiâ* tamen iidem sumus, qui fuimus antea, idemque de nobis praedicatur. — Neve dicas, divinam naturam eandem esse in tribus Personis divinis; nam natura divina, quamvis tribus Personis sit communis, est tamen maxime individua, neque ullo modo universalis, et tres Personae omnia habent communia praeter rationem personae; in hominibus vero, teste conscientia, nil habetur physice commune sive ratione naturae, sive ratione personae. Ergo universale non existit formaliter in ipsis rebus.

3. *Ex modo praedicandi*: Quidquid naturae reali tribuitur (non soli parti, e. g. corpori soli vel animae), etiam individuis naturam illam habentibus convenit. Atqui si natura universalis formaliter esset realis, tunc individuis etiam praedicata omnia naturae universalis tribuenda essent; essent igitur universalis, aeterna, necessaria, quod absurdum est. Ergo universalis non formaliter in rebus existunt.

4. *Ex absurdis*: Si universalis in rebus formaliter existerent: a) non solum species, sed etiam genera in rebus formaliter existerent inter se distincta. Atqui hoc absurdum est; tunc enim homo vere esset et diceretur eodem modo et homo et bestia et planta et lapis et substantia communis et ens transcendentale.

b) Tunc et accidentia eodem iure existerent formaliter universalis, quia sunt aliquae realitates et conceptu universali exhibentur. Nil igitur singulare esse posset, omnia evaderent communia, ac proinde pantheismus universalis statueretur, si quidem universale idem et eodem modo per identitatem praedicatur. Ipsa historia docet, Formalismum vel ex pantheismo ortum esse vel eum induxisse. Ergo universalis non existunt formaliter in ipsis rebus.

Coroll. Neque sententia Scotistarum admittenda est, a) quia distinctio „formalis ex natura rei“ reicienda est; res enim aut ante aut post operationem mentis distinctae sunt. Si primum, adest distinctio realis, non solum formalis; sin alterum, habetur sola rationis distinctio, quae nullam in re ipsa inducit distinctionem. Ergo distinctio illa formalis ex natura rei non est

admittenda. b) Neque natura ex se universalis potest fieri singularis „per existentiam“, ita ut in Petro et Paulo realiter non differret nisi „haecceitate“. Nam natura Petri a natura Pauli illa „haecceitate“ aut fit intrinsece diversa, et tunc utraque erit individua, aut non fit intrinsece diversa, et tunc a) non essent revera plures homines, sed plures individuaciones eiusdem hominis, neque plus differrent homines inter se, quam nos nunc differimus a nobismet ipsis, quando pueri eramus; ß) tota humanitas iam esset in Petro, neque alius homo fieri posset.

c) Neque Mastrii sententia mitigata de negativa indifferentia intrinseca realis naturae in se quidem singularis ad hanc vel illam individuacionem sufficit ad naturam universalem recte explicandam; nam illa „indifferentia negativa“ vel „communitas inchoativa“ naturae, quum sit aliquid physice reale et existens, non praebet fundamentum conceptus universalis, i. e. nequit de pluribus simul praedicari, quum omnis res physice existens sit intrinsece individualis et naturam Petri a Paulo formaliter a parte rei distinctam ac proinde individuum esse adversarii concedant.

Obi. 1. *Conceptus habent valorem obiectivum*. Atqui conceptus sunt formaliter universales. Ergo etiam universalis habent formaliter obiectivum valorem. Dist. mai.: Conceptus habent valorem obiectivum quoad id, quod exprimunt — conc.; quoad modum, quo exprimunt — subd.: formaliter — nego; fundamentaliter — conc. Dist. min. eodem modo.

2. Atqui universalis etiam quoad modum et quidem formaliter habent obiectivum valorem; nam scientia exhibet res, ut sunt etiam quoad modum existendi. Atqui obiectum scientiae est universale. Ergo . . . dist.: scientia exhibet res ut sunt, modo tamen universali — conc.; modo singulari, ut res in se existunt — nego.

3. Atqui scientia ac proinde universale debet etiam modum repraesentare, quo res in se sunt; alias mens faceret, non supponeret obiectum suum; dist.: faceret obiectum materiale — nego, formale, subd.: quoad modum, quo in se est — nego; quoad modum, quo in mente est; iterum dist.: sine fundamento in re — nego; cum fundamento in re — conc.

4. Atqui faceret obiectum suum formale sine fundamento in re; nam in rebus nulla est distinctio inter naturam eiusque modum existendi, dist.; non est distinctio realis (physica) — conc.; non est distinctio rationis virtualis, metaphysica; subd.: in statu proximaе possibilitatis (in mente divina) — conc.; in ordine logico i. e. sicut essentia metaphysica in mente nostra, non divina existit — nego.

5. Atqui neque pro nobis potest esse virtualis in re distinctio, quia mens supponit suum obiectum, non autem immutat; nam est facultas necessaria; dist.: mens percipit rem, ut res est in se modo individuo — nego; ut ipsa mens est, subd.: ita quidem, ut hunc modum universalem sine fundamento in re efficiat et rei ipsi tribuat — nego; ita ut hunc modum concipiendi suae naturae tribuat cum fundamento tamen in re — conc.

6. Atqui mens conceptu universali percipit obiectum eo modo, quo res in se est; alias non posset praedicari, rerum essentias esse universales, necessarias, immutabiles, si quidem res essent singulares, contingentes etc.,

dist.: haec praedicantur de obiecto conceptus directi — nego; de obiecto conceptus reflexi, subd.: positive — nego; negative — conc.

7. Atqui existunt naturae reales universales: a) divina natura in tribus personis existens; dist.: multiplicata sicut universalis — nego; individua et communicata — conc.

b) Christus ubique est in ss. Sacramento; dist.: multilocatus — conc.; multiplicatus — nego.

### Caput III: De Realismo moderato seu vero.

#### § 1. De natura universalis abstracti.

1. *Notio universalis in genere:*<sup>1)</sup> Triplex universale distingui potest: a) *universale in causando*, quod multa producere potest; e. g. Deus; b) *universale in repraesentando*, quod multa repraesentare potest; e. g. conceptus universalis subiective spectatus multa individua significans; c) *universale in essendo*, et consequenter etiam in *praedicando*, quod in multis simul inesse et de ipsis praedicari potest; e. g. homo = animal rationale; et de hoc universali, quod in rebus ipsis invenitur, nobis quaestio est, sc. de conceptibus nostris *obiective* spectatis. Hoc igitur *universale* definitur *unum aliquod aptum, ut pluribus insit et de iis univoce et divisim praedicetur*.

2. *Natura universalis abstracti:* Universale vocatur: a) *unum*, quia rationem aliquam obiective unam et sibi identicam exprimit. Iam vero potest distingui, sicut triplex essentia, ita et triplex unitas<sup>2)</sup>: α) *individualis* (physica), quae est maxima neque invenitur, nisi in singulis rebus e. g. Plato; exprimitur idea propria; β) *specifica* (logica), quae in pluribus eodem modo invenitur, e. g. humanitas; exprimitur conceptu reflexo; γ) *essentialis* (absoluta, metaphysica), e. g. homo, quae abstrahit a ratione singularitatis vel pluralitatis; exprimitur conceptu directo. Universale autem, de quo disputamus, comprehendit tum unitatem specificam, tum essentialem.

b) Universale vocatur *unum in pluribus*, quia, quod exprimit, non in uno solo individuo inest et praedicatur, sed in pluribus inest vel inesse potest; nam ad naturam universalis *in genere* non requiritur, ut actualiter in pluribus insit vel praedicetur, i. e. actualis communicatio in pluribus, sed saltem communicabilitas, e. g. sol, qui nobis revera unicus est, multiplicari tamen posset.

c) Universale dicitur *univoce* praedicari de pluribus, ut conceptus analogici et aequivoci excludantur, qui non exprimunt rationem unam obiectivam, quae sit perfecte in pluribus eadem, e. g. sanitas in homine et cibo; porro dicitur *divisim* praedicari, quia natura

<sup>1)</sup> Cfr. St. Thomae opusc. 55 et 56 „de universalibus“.

<sup>2)</sup> S. Thom. de ente et essentia, c. 4; Quodl. 8, qu. 1. a. 1.

eadem in singulis multiplicatur, ita ut singula, in quibus inest, numerari possint. Hoc modo conceptus collectivi excluduntur, qui quidem plura significant, sed non multiplicantur in singulis inferioribus, neque ipsis tribui possunt per identitatem, e. g. exercitus. Unde conceptus universalis obiective spectatus convenit cum conceptu singulari in hoc, quod unam rationem obiectivam exprimit; differt ab eo, quia haec ratio obiectiva non in uno solo individuo verificatur, sed in pluribus. Deinde convenit cum conceptu colectivo in hoc, quod plura significat; differt autem, quia unam rationem obiectivam, quae in singulis eadem est, exprimit; convenit cum conceptu analogo, quia plura obiecta significat divisim sumpta; differt, quia *eandem* rationem obiectivam in singulis significat.

3. *Species universalis abstracti:* Universale duplex distinguitur: *directum* et *reflexum*. Potest enim considerari *id, quod* conceptus exprimit, e. g. homo = animal rationale; et *modus, quo* exprimit<sup>1)</sup>, e. g. homo, in quantum abstrahitur ab individualitate Petri, Pauli etc. et *id* solum consideratur, quod in multis inest. Iam vero universale *directum* exhibet solum *id quod* conceptus exprimit, i. e. naturam rei absolute consideratam eiusque unitatem essentialem, ac proinde abstrahit tum a singularitate, tum a pluralitate. Unde universale *directum* respondet conceptui directo, et est *id, quod* in rebus revera inest et praedicatur. Vocatur etiam *universale metaphysicum* et dividitur in decem *praedicamenta*. — Universale autem *reflexum* respicit directe modum, quo realitas illa conceptu directo expressa existit in mente, sc. modum abstractum et universalem, quo fit, ut natura illa in pluribus individuis eodem modo insit et praedicari possit. Universale igitur *directum* respicit primo et per se *comprehensionem* conceptus; *reflexum* vero eius *extensionem*. Hoc modo universale *directum*, quod in se solum *potentia* erat universale, per reflexionem mentis *supperadditam* fit *actu* universale et potest vocari *universale logicum*. Ex hoc patet, conceptum *reflexum* supponere *directum* ac constitui per *novum actum*, quo mens redit in conceptum *directum*, eumque actu universalem efficit. Conceptus igitur *reflexus* non significat directe naturam, quae praedicatur, sed modum, quo praedicatur, ac proinde exhibet quinque *praedicabilia*.

*Thesis XI: Universale formaliter constituitur per operationem mentis.*

*St. qu. 1<sup>o</sup> Universale* hic intelligitur et *directum* et *reflexum*; praesertim vero agitur de universali *directo*, quod *reflexo* supponitur. Quod si ostenditur formaliter constitui per operationem mentis, hoc

<sup>1)</sup> Cfr. S. Thom. S. Th. I, qu. 85, a. 2 ad secundum; cfr. dialecticam, p. 18 et 25 sq.